

spicuis verbis proponatur, quid Evangelista, Apostolus, &c. probare velit. Virtutes eius sunt: 1, Sit brevis. 2, Clara & perspicua, ut ab omnibus intelligatur facillime. 3, Ex ipso textu petita, non aliunde.

His ita positis, Partitio instituenda est: Inuenitur autem ea si Propositione perpensa, omnia accurate examinentur.

Virtutes eius sunt: 1, Sit ex textu, non aliena. 2, Omnia textus membra comprehendat, ita ut nihil omittat, nihil redundet.

Si vero textus occurrat, qui secari non possit, ita proponatur, ut dicas, te primum explicaturum verba & sensum verborum, inde, doctrinas. Igitur in his 2. sunt partes: prima, explicatio: Secunda, applicatio seu doctrina.

Partitione propositâ argumentum primæ partis proponendum est, aut si in exordio tractatum fuerit, omittatur; inde argumentorum, (si modo quedam sunt in textu) ἀνάλυσις instituenda ad rem probandam, id quod perspicue fieri debet. Inde verba ordine explicanda, quod hoc modo fiat: Si verbum *πολύσημον*, aut phrasis occurrat, primò distinguenda; secundò, definienda; tertio, declaranda & explicanda similibus Scripturæ locis.

Obscura deinde verba per apertiora de-